Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nature lege propelli. que exuberantiam cuiuslibet humoris superflui
uelud noxiam sibi atque contrariam insemet ipsa residere
non patitur. Ideoque rationabili semper et equali est corpus nostrum
parsimonia castigandum. ut si naturali hac necessitate
commorantes in carne omnimodis carere non possumus.
saltem rarius nos et non amplius quam trina uice ista colluui
one respersos. totius anni cursus inueniat. Quod tamen sine
ullo pruritu quietus egerat sopor. non fallax imago
index occulte uoluptatis eliciat. Quamobrem hec est
temperata quam diximus continentie et qualitas atque mensura
que patrum quoque iudicio comprobatur. ut cottidiana panis
refectionem cottidiana comitetur esuries. in uno eodemque
statu animam pariter corpusque conseruans. nec ieiunii fati
gatione concidere. nec grauari mentem saturitate permit
tens. tanta namque frugalitate finitur. ut interdum se post
uesperam nec sentiat aut meminerit fecisse. XXIIII.

Et in tantum hoc non sine labore perficitur. ut malint
hi qui perfectionem discretionis ignorant. etiam
biduo protelare ieiunia. idque quod hodie sumpturi fuerant
in crastinum reseruare. dummodo ad refectionem per
uenientes desiderata satietate potiantur. Quod nuper Benia
min ciuem uestrum pertinaciter tenuisse cognoscitis. qui ne
cottidie paximacia duo percipiens. equali casti
gatione continuam parcitatem iugiter retemptaret. maluit
biduana continuare ieiunia. dummodo ad refectionem
ueniens. duplicata mensura repleret uentris ingluuiem.
ut IIII. paximatia comedens. desiderata satietate
gauderet. et expletionem uentris sui biduano ieiunio
quodammodo compararet. Qui obstinatione et pertinacia
mentis sue definitionibus potius propriis. quam seniorum tradi

Nam id quod in biduo fuerat percepturus differens in uno die absolutionem ieiunii post biduum pariter sumebat.